



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

Christopherson, John

[Köln], 1569

De Thalassio Caesariae vrbis Cappadociae Episcopo. Cap. XLVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12704

De Thalassio Caesariae urbis Cappadociae Episcopo.

CAP. XLVII.

Proclus eodem tempore, ad decimum septimum Consulatum eiusdem Imperatoris, rem planè admirabilem, & qualem nemo veterum episcoporum aliquàdo effecerit, aggressus est. Nam Firmo, episcopo Caesariae Cappadociae mortuo, Caesarienses Constantinopolim aduentant, episcopum quæsituri. Ac cum Proclus lustraret animo quem ad eum episcopatum designaret, fortè fortuna die Sabbatorum, dum aliquem dispicere conabatur, omnes Senatores illum inspectarent, ad ecclesiam accedunt: in quorum numero fuit Thalassius, qui gætium & ciuitatum Illyrici præfecturam gessit. Cui partium versus orientem administrandarum curâ, vti fama est, imperatoris iussu suscepturo, Proclus manus imponit: & pro Præfecto Episcopum Caesariae declarat. Atque ad hunc modum ecclesiae status id temporis prosperum & foelicem successum habuit. Nos verò hoc loco finem nostrae historiae imposituri, omnes vbiq; ecclesias, vrbes & gentes pace tranquilla frui optamus. Pace enim regnante historiae scribendae studio incensis, nullum omnino suppetet argumentum. Quippe nobis Theodore sanctissime, qui prouinciam historiae literis prodendae abs te nobis datam septem libris sumus complexi, nullum planè suppeditasset argumentum, si illi, qui ex seditionibus conflandis voluptatem capiunt, acquiescere voluissent. Hic septimus liber spatium triginta duorum annorum continet: tota autem historia in septem libros partita, annos centum quadraginta complectitur. Quae orditur à primo anno ducentesimae primae Olympiadis, in qua Constantinus Imperator declaratus fuit, desinitq; secundo Anno ducentesimae vigesimae octauae Olympiadis, ad decimum septimum Consulatum Imperatoris Theodosij.

Finis septimi libri.